

sub axillis, & ad inquina linteal-vino madida cum effectu applicuit, dum vinum ob stimulum interne exhibere metuebat.

Omitto hic loci pretiosa illa remedia odorata Indorum, qualis est *Lapis Bezoardicus*, *Lapis in vesica fellea Hystricis Americani haren*s, *Lapis del Porco dictus*, *Lapis de Gos*, &c. quæ ut ut bona quibusdam videri possint, minus tamen sunt efficacia, quam vinum fragrans, quod cum pane biscoito plus reficit, quam lapis quisque pretiosissimus. Idecirco sequitur

### §. III2.

## Quarta Classis Cardiacorum seu stimulantia.

### Leniter aromatica.

**A**NANAS sapidissimus fructus est, pyra, poma, fraga &c. odore suo referens, & inter leniter stimulantia, parumque simili nutrientia locum habens. Impune autem, & cum utilitate suo tempore assumentur, ubi nempe spiritus inertes movendi sunt, licet quidam authores eundem sputum cruentum producere afferant.

**FLORES BORRAGINIS** imo & tota planta, in qua sal nitrosus quasi polychrestus habitare videtur, in usus medicos adhibetur. Vis illi solvens ineft: ideoque jusculis eorum, quibus alvus adstricta est ordinarie, cum Cichoreo, Taraxaco, Endivia, incoquitur. Succus ejus expressus cum succo Cichorei, Graminis &c. in Melancholia, in malo Hypochondriaco, ubi intestina atra illa, & picea saburra repleta sunt, bono cum succetu exhibitetur. Flores ob lenem fragrantiam laudantur, & omnium optime vino frigido infunduntur. Dosis non est periculosa: flores enim ad libitum, folia ad m. II. III. pro lb. l. liquidii, e. g. seru lactis, dum vis solvens requiritur, præscribuntur. Prostat conserva, & aqua destillata Borragini, quæ non adeo magnarum sunt virium; syrpus tamen utcunque bonus est.

BETO.

**BETONICA** planta est, cujus folia, & flores subtile aroma spirant, & in medicina locum habent, ubi incidendum, aperiendum, & perspiratio promovenda. Hinc infusum ejus ad dolores frigidos capitis, arthriticos, & podagricos, in quibus transpiratio subito cohibita, leniter restituenda est, laudatur. Hoc infusum cum melle ad ulcerata interna renum, vel pulmonum summo etiam cum effectu commendatur: interim, ubi haec & similia stimulantia exhibemus, febris hectica, nimius calor, & austus humorum motus, vel siccitas abesse debent, & ubi cunque suspicio inflammationis adest, iisdem neutquam est utendum. Pulvis florum Betonicae Errhinis additur, sed assuetos vix movet. Habetur de hac Planta in officinis 1mo: aqua destillata, & conserva florum ac foliorum, quæ cephalica dicitur, licet non multum fragrantia contineat. 2do: syrpus ex succo foliorum paratus satis innocuus; 3to Emplastrum de Betonica, quod ad tumores frigidos discutiebat, & ad dolores capitis adhibebatur; verum illud præter Betonicam multo efficaciora ingrediuntur.

**BOTRYS.** Tota planta cum floribus odorem graveolentem, saporem aromaticum, subactem habet. Solet autem iisdem in casibus, in quibus betonica usurpari. Infusum ejus leniter stimulat, & solvit; hinc in mucosa tenacitate, in asthmate senili, in dispnœa simili; in ulceribus renum & pulmonum, sub iisdem cautelis cum melle exhibitum omnino prodest.

**BUGLOSSUM** cum Borragine fere convenit, ac easdem virtutes possidet.

**FLORES LILIORUM** penetrantem, cito tamen evanidum odorem habent, ex quibus aqua distillata non autem magni usus paratur. Oleum per infusionem live calidam, sive frigidam quoque fieri consuevit; sed neque hoc tantæ virtutis est. Bulbi vero Liliorum contusi succum fundunt mucilaginosum, inodorum, insipidum emollientissimum; atque ideo fomentis, & cataplasmatibus emollientibus, ac suppurantibus adhibentur.

**LADANUM GUMMI** est substantia nigricans, odoris grati, parum aromatici; saporem linguæ imprimat balsamicum, cum odore consimili. Usus ejus internus rarus est, externe autem in suffumigiis cum frictione calida partes laxas roborat, & humores crassos attenuat. Prostat Emplastrum de Ladano, quod

G 3

in

in pleuritide, angina, &c. ubi humores extorsum evocandi sunt, pectori, aut collo applicari solet, & ad tumores frigidos resolvendos, ad debilem ventriculum roborandum admodum prodest: membris denique paralyticis, ac lœsis nervis solamen adfert. Cæterum hoc gummi ad tædas aromaticas in officinis adhibetur, quæ grato suo odore oblectant.

**FLORES PHILADELPHIÆ** raro in medicinam veniant, interim eundem cum floribus Sambuci usum habent.

**SASSAFRAS** *Cortex* & *lignum* *odoris* sunt grati, & fragrantis; saporis vero acris, subdulcis & aromatici; utrique infunt vires sudoriferæ, alexipharmacæ; quare infusum eorum, ubicunque movendam, sudor expellendus, motus humorum augendus, calor simul promovendus, & vires viræ stimulandæ sunt, summae efficaciae. Rheumatismus a subito cohibita transpiratione ortus, infuso isto sapienter satis cito curatur. Præterea quum sanguinem diluat, omnia solvat, vasa expeditat, ibi etiam locum habet, ubi miasma suscepimus ope sudoris expelli potest. In febribus ardentibus, ubi indicatio cutim externam humectare jubet, cocta sub finem morbi materia, dum natura languida morbo expellendo non sufficit, exhibetur: spissos enim humores diluit, languorem erigit, vires debiles leni & innocuo stimulo reficit. In catarrhis frigidis, pituitosis, ubi sudor excitandus, neque valida febris adest, juvat. In lue item aphrodisiaca non radicata, in levi gonorrhœa cum aliis lignis e. g. Quajaci, trium Santalor. &c. optimo cum successu adhibetur: Interim decoqui non debet; sed decoctis lignorum sub finem additur, sive decocto - infusum paratur. **Rasura** *Corticis*, & *ligni* *Sassafras* passim præscribi solet, idque in infuso aquoso vel vinoso; primum pro potu ordinario in cachexia, in scorbuto, in fluore albo, in arthritide, catarrhis, &c. servit; alterum est magis stimulans. Dosis Ligni & Corticis est dr. I. ad dr. III. ad unc. ss. vel & unc. I. pro libra I. liquidi: infusi vero hujus omni bihorio aut trihorio vasculum duarum vel trium unciarum dari potest. Adest in officinis *tinctura* satis efficax, & stimulans: Deinde *aqua distill.* fragrans: 3tio *Oleum still.* grave & fundum petens, quod forma Eleosachari ad guttas aliquot pro calore, ac diaphoresi excitanda propinatur: si vero quis

*quis spiritum expeteret, eum obtinere posset, si oleum essentiale in spiritu vini solveret.*

*HYACINTHUS TUBEROSUS*, fragrantia sua naribus diu haustus vertiginem inducere valet, & subtilissimus ejus spiritus hypochondriacis viris, fæminisque hystericis spasmos excitat mirabiles: usum vero medicum nullum habet.

*RADIX RHODIA* odorem similem rosarum habet, saporem gratum, cum quadam non injucunda amaritie; atque ubi stimulandum, & motus humorum augendus, perspiratio, & sudor promovendus est, infusa convenit. Destillatur inde *oleum*, quod ob parcam copiam pretiosum est satis, & unguentis ad gratum odorem conciliandum additur.

### Acriora, & calidiora.

*ABROTANUM* odore grato aromatico, reficiente, & stimulante gaudet, saporis est acris, & amarescentis; in medicina vero ut Melista adhibetur. Hinc herba ista vino frigido, aut aquæ infusa fragrantia sua calefacit, & stimulat, inque morbis frigidis prodest. Dosis est unc. ss. vel unc. I. pro libra una liquidum: decoqui autem non debet. Habent officinæ aquam stillas. *Abrot.* satis efficacem. Ejusdem quoque virtutis est *oleum* still. inde paratum: quod ad aliquot tantum guttas exhiberi debet. *Extractum* & pulvis multum jam virium suarum amiserunt.

*ABSYNTHIUM* duplicem in speciem distinguitur; scilicet in *vulgare*, & *Ponticum* sive *Romanum*. *Vulgari* odor inest fragrans, gratus, aromaticus, sapor amarus admodum & nauseans. Vires habet stimulantes, reficientes, ac lentum humorum motum augentes. In genere itaque herba *Absynthii*, & præparata ejus prosunt, ubi morbi sunt frigidi, solida laxa, & inertia; ideoque in febribus intermittentibus, ubi corpora senilia, frigida, hyemali tempore his torquentur, in hydrope incipiente, in debilitate ventriculi, in defectu bilis, in pituitosis corporibus &c. ubicunque demum stimulandum est, optime convenient. Diversis jam sub formis propinari potest. Herba *Absynthii*, quando non amaror ejus, sed vis stimulans requiritur, optime infunditur: si autem illo amarore opus fuerit, seu si vis solvens, bilis inopiam supplens potius adesse debeat, *succus ex.*

expressus, decoctum, vel extractum, aut denique pulvis est prærendus. Ubi tamen utramque simul indicatur, conserva dosi drachmæ unius data, pulcherrima præstat. Extractum in defectu bilis a scrup. ss. ad scrup. I. cum guttis circiter XXX, vel XL. liquoris terræ foliar. tart. præscribitur. Prostat aqua still. Absynthii fragrans, quæ dosi aliis aquis consueta exhibetur. Cela Boerhaave Chem. Tom. 2. processu 16. aquani Absynthii recentissimi crebra cohobatione paratam, feliciter bilis defectum supplere, languenti opitulari officinæ chylopoieticæ, vermes necare, & pellere inquit. Oleum still. est nigro-viride, gratum: quod magis, quam ipsa planta, stimulat, ac reficit. Habetur item essentia simplex & composita, cuius guttae XL. pro dosi dantur: nec non syrpus Absynthii in dictis malis locum habet. Sal Absynthii incineratione, & elixatione paratur, qui a scrup. ss. ad scrup. I. ad dr. ss. sufficienti aquæ copia dilutus, ubi humores nimium mucosi, aut acidum prædominatur, pulcherrimos effectus edit. Ex drach. ss. hujus salis, cum unc. ss. succi citri fit nobile illud antiemeticum Riveri, quod in actu effervescentia epotum, vomitum saxe cito compescit. Paratur denique ex Ablynthio Vinum, & Cerevisia absynthites, optimus certe potus, si nimia intestinorum laxitas peccet: quo fit, ut intestina roborentur, & nisi vermum destruantur: ea de causa etiam est antihelminticum: non tamen ob amarorem, ut quorundam fert opinio. Folia contusa cum sale & aceto mixta, locis contusis externe applicata, sanguinem resolvunt: atque dum partes gangrenosæ sunt, decocto Absynthii optime foventur.

*ABSYNTHIUM PONTICUM* magis est aromaticum, minus vero amarum, quam vulgare; cæteroquin easdem prorsus virtutes habet.

*AMOMUM*. Semina, quæ cum Ammeos, Apii, Daucique seminibus inter IV. calida minora numerantur, sola de tota planta in medicina usum habent; sunt autem stimulantia, ruborantia, carminativa; hinc in flatibus, borborygmis, & spasmis a frigore, viscositate, & lento humorum motu obortis, dum abest suspicio inflammationis, fitis & calor, largæ aquæ copiæ infusa, plurimum profundunt. Dosis est drach. I. pro fb. I. aquæ.

*AGALLOCHUM* lignum vel potius medulla aloes purgantis cortice & ligno orba, sic dicitur: verum nihil communne

ne habet cum succo illo inspissato, Aloe nominato, purgante celeberrimo: si manducetur, os exsiccat, ut mastiche, postea vero quid anaricantis, & resinosi relinquit. Facile quidem pulverisatur; sed pulvis ille nimis jam est exoletus. Optime proinde forma infusi vinosi, aut vini medicati prescribitur: tumque vires stimulantes, roborantes, ac sudoriferas habet: Interim solum nunquam adhiberi solet. Prostat quoque nominis ejusdem resina, amaritie insigni praedita.

*ANETHUM* suavissimum odorem cum sapore aromatico in se continet: Semina Anethi carminativa inter locum tenent, neque immerito: si enim flatus a causa frigida ortum habeant, nec timenda sit inflammatio, infusum eorum prodest. Præterea si unc. ss. vel etiam uncia integra seminum istorum cum lib. I. aquæ infundatur, melle edulcoretur, & calide exhibeat, obtinet remedium in catarrho senili, ubi tussis inanis adest, in pittitosis, ac frigidis ventriculi, & pulmonum morbis, profecto summum: stimulat enim, resolvit, & pulmones infarcitos senili muco liberat. Prostat in officinis de Anethi seminibus oleum destill. & aqua still. ejusdem cum seminibus virtutis.

*ANGELICA* radix saporis est penetrantissimi; odoris aromatici, calefacentis, & ambram redolentis: hinc fæminis hystericis displicere solet. Vires in ea maxime laudantur sudoriferae: & in peste, ac in omnibus morbis contagiosis summi semper usus fuit, ubi miasma tam subtile, ac volatile est, ut sudoribus expelli possit, vires vitæ interim prostratae eidem expellendo haud sufficiant. Si tum unc. ss. vel & unc. I. fibrarum Radic. Angel. (has enim prescribimus) & m. III. folior. Rutæ cum lib. I. aquæ infundamus, addita unc. I. aceti, efficacissimum obtainemus sudoriferum, & melius longe, quam omnia illa Bezoardica remedia, magnifico adeo titulo superbientia, unquam dare valeant. Radix hæc exsiccata in pulverem quoque redigi potest, melius tamen cum aqua vel vino, prout nempe majore, vel minore stimulo opus est, infunditur. Decoctionem autem non fert. Prostat aqua still. insignis virtutis; dein Extra-dum, quod ambra odorem retinet. Spiritus Angelicæ nostro in dispensatorio non habetur: si tamen adsit a guttis XXX. vel XL. dari posset: est vero ille efficacissimum stimulans, & pauca etiam dosi adsumptus ventriculum roborans,

*ANISUM odoris est fragrantis, saporis oleosi aromati-  
ci, dulcis non tamen stimulantis adeo; semina Anisi pulchrum  
usum habent in morbis frigidis, in debilitate primatomi viarum,  
in lento humorum motu, in mucosis morbis pectoris, in diu-  
resi promovenda. Nec minorem laudem merentur in flatibus,  
in torminibus, in colicis, nephriticisque doloribus a frigida, &  
mucosa, crassa, & pituitosa causa productis. Dantur vel in pul-  
vere a scrup. I. ad dr. ss. vel in infuso a dr. I. ad unc. ss. Pa-  
ratur in officinis medicis *oleum stellatum*, summe fragrans, quod ult-  
timis in casibus valde extollitur. Quinimmo, si oleum hoc  
infante torminibus laborante (videndum est autem, an mucus,  
fatusve torniina produixerint) ad guttam unam, alteramve sa-  
charo instillatum, nutriti exhibeat, & infans uberibus appli-  
cetur, lac Anisum redolet, torminaque curat. Interim ipsa se-  
mina cum pulte tum misceri, & tenellis fusionum corporibus  
ingeri possunt. Solet quoque Anisum saccharo obduci, atque  
ita manducari. Habetur in officinis *Anisi spiritus*, qui modera-  
te sumptus, in morbis frigidis optime convenit: abusu vero  
maximum dannum ad fert. Ceterum oleum, spiritus & aqua in  
torminibus ventris a flatibus oriundis, infantibus externe affi-  
cantur. Semina recententur inter IV. calida majora.*

*ANISUM STELLATUM* etiam *Badianum* dicitur. Sapo-  
ris, & odoris priori haud est absimile; suavius tamen *Aniso*  
simplici, deprehenditur; usus vero ejusdem: ad halitum oris  
emendandum masticatur, & potibus Theeformibus odoris ple-  
rumque, & saporis gratia additur.

*ARTEMISIA* Germanis *Weyfus* audit, quod veteres  
falso putarint itinerarios, hanc herbam secum ferentes, non las-  
sari. Herba hæc sapore subdulci, & aromatico prædita est: suc-  
cus ejus est amarus, minus tamen absynthio, magis vero aro-  
maticus: in morbis proinde calidis nocivus. Laudatur præci-  
pue tanquam summum emmenagogum, ad menses, & lochia  
procuranda: vires enim habet stimulantes, motum humorum  
augentes, solida inertia roborantes, crassitudinem fluidorum atte-  
nuantes, & blande aperientes: eam ob causam infusum ejus non  
nisi ubi sufficiens copia sanguinis adeat, & solus tantum lensus  
humorum motus catamenia retardat, vel impedit, convenire  
potest. Solent quoque ex *Artemisia*, & similibus aliis plantis  
bal-

balnea pedum fieri, quæ tum maxime indicari videntur, quando a suppressa perspiratione menses deficiunt, aut nimio labore membra defatigata tument. Prostat extractum de Artemisia; aqua fl̄ill. fragrans, & syrups, qui in morbis puerarum, sed sine ratione plerumque præscribi solet: interim ubi stimulandum, & lenti humorum motus augendus est, usum habere potest. In Asia ex hac planta *Moxa* paratur, celebre illud remedium pro adiustione in morbis ischiatricis & epilepticis, nobis autem non usitatum.

*ACORUS* cum odorem, tum saporem gratum, & aromaticum habet; verum aroma ejus, testantibus prope omnibus authoribus, benignæ adeo est naturæ, ut nullum ex quacunque orbis parte adseri possit, quod virtute stimulante, ac roborante in frigidis, ac lentiis morbis præstaret. Hinc ubi ventriculus debilis, & frigidus ingesta facile non fert, & ubi calefaciendum, stimulandum, motus humorum augendus; tum denique ubi solida nimis laxa, humores crassi, & mucosi sunt; atque Leucophlegmatia, hydrops absentiibus tamen obstructionibus a mucositate fieri incipit, in morbis virginum &c. summe prodest. Præscribitur radix Acori in infuso ad unc. fl̄. pro fl̄bra I. aquæ, colaturæ additur unc. I. mellis, aut syrapi convenientis: Præstantissimum hoc simul est remedium in catarro senili absente tamen febri, & calore nimio. Potest quoque dari in pulvere a scrup. I. ad dr. fl̄. Prostat item radix sacharo condita, gratior quidem, minus tamen stimulans. Interim debilem ventriculum optime sanat, si in parva frustula discindatur, quorum unum post alterum deglutiatur.

*CYPERUS LONGUS*. Radix hæc recens quasi camphoram spirat; virtutem vero omnibus aromatibus communem sive stimulantem habet; specificæ vires nullæ sunt cognitæ. Exhiberi posset in pulvere, infuso vel vino medicato: verum usitata non est.

*CYPERUS ROTUNDUS* odore magis fragrante, sapore plus aromatico, quam præcedens gaudet; vires habet calefacentes, stimulantes, attenuantes, & incidentes ab aliis aromatibus non distinctas.

*CALAMINTHA*. Virtutis tota planta est calefacentis, excitantis, præterquam quod saponacei simul aliquid, & blan-

de detergentis possideat: apud veteres cephalica inter, uterina; & nervina &c. non infimum locum tenuit, quas vires illi non denegavero, si morbus a frigore senili, a mucositate originem duxerit. Infusum ejos melle edulcoratum, egregium est in suppurationibus internis renum, & pulmonum; in catarrho, absente tamen calore, siti, febri heptica. Flores Calaminthæ instar potus Thée infunduntur. Prostat Aqua Calaminthæ montana ingrati saporis.

**CHAMÆPITIS** in officinis frequenter etiam nomine *Ige* venit: saporem, & odorem resinosum habet: infusum vero illius ad ea omnia laudatur, ad quæ *Calamintha*. Præterea quoque ad morbos rheumaticos, arthriticos, ischiatricos, & podagricos, a subito impedita transpiratione ortos, jure commendatur: dosis hujus & præcedentis plantæ est m. I. pro libra I. aquæ.

**CUMINUM.** Ex hac planta sola semina in usus medicos adhibentur: quibus inest sapor calidus, aromaticus, stimulans, non tamen cuivis gratus: vires habent carminativas, calefacientes, stimulantes. Hinc ad tormina, & inflationes ventris, a causa frigida, a pituita inertis, a debilitate intestinorum ortis convenient. Dantur aut forma pulveris; aut forma infusi; aut denique cum oleo cocta clypeatis inserviunt: optime vero integra, dentibus parum contrita, assumuntur. Carnibus præterea, pani, caseo, aliquisque cibis, uti anisum, non inepte adduntur pro iis, qui debilem, & frigidum ventriculum habent: sed robustis & calidis nocent: Ceterum hæc semina cum seminib[us] fenniculi, anisi, & carvi recensentur inter quatuor calida majora, quæ omnia, ubi stimulandum, & roborandum est, ubi diathesis frigida peccat, summos effectus edunt. Paratur inde oleum still. quod tamen nostris in officinis non habetur: interim quam maxime laudatur contra colicam a causa frigida ortam, & ad aliquot guttas præsentissimum sèpe est remedium. Prostat ceratum de Cumino, quod supra alutam extensem, in morbis debilium intestinalium abdomini cum successu applicatur.

**CHÆROPHILLUM.** Folia hujus plantæ sapore grato & aromatico; odore non assimili, cito tamen evanido gaudent: quæ si recentia fint, vim miram humores crassos solvendi habent: quare succus inde expressus, aut infusum fero lactis paratum,

tum, & melle edulcoratum, usque diurno adsumptum, i&te-  
ricis, melancholicis, & hypochondriacis obstruktionibus pul-  
cherrimam medelam adfert, neque adeo nauseosum est medica-  
mentum. Hunc in finem jusculis quotidie circa finem coctio-  
nis addi potest, sicque infundi, id quod vase clauso fieri debet.  
Infusum hujus plantæ urinam quoque effeaciter moveret: Deni-  
que succus ejus diebus singulis mane in lecto adhuc ad drach.  
VI. per menses aliquod haustus, mala cutanea satis pertinacia,  
qualia sunt scabies, λευκὴ, lentigo, lepra &c. felicissime percu-  
ravit. Herba contusa externe locis contusis applicata, eadem  
discutiendo sanat. Habetur aqua still. ad vertiginem, & similia  
mala utilis.

*CARVUM.* *Semina* hujus plantæ, quæ inter quatuor ca-  
lida majora locum tenent, odoris sunt grati, aromatici; saporis  
acris & penetrantissimi, creberrimeque ob validas, ac satis egre-  
gias vires discutientes, commoventes, roborantes, stomachi-  
cas, carminativas, uterinas, in morbis variis, maxime autem in  
vitiis digestionis, affectibus flatulentis, torminibus ventris,  
tympanitide, vertigine stomachali, singultu, morbis pectoris  
pituitosis, passione hysterica, fluore albo uterino &c. bono cum  
effectu adhibentur. Dantur autem rarius in pulvere a scrup. I.  
ad dr. ss., vel frequentius in infusis vinosis, quæ exhibendi for-  
ma, intuitu effectus, optima est a dr. I. ad dr. II. III. oleum de-  
stillatum rubri coloris, fragrantissimum, valdeque calidum, & acre  
existit, quod scopo stimulandi, calefaciendi, mucum inciden-  
di, flatus discutiendi &c. a gutt. II. ad gutt. III. IV. forma ele-  
sachari, pilularum &c. præscribitur: externe vero ventriculo,  
& abdomini ad easdem partes frigidas, & debiles calefacien-  
das, roborandasque afficitur.

*CORIANDRUM.* De tota planta sola *semina* in usus me-  
dicos trahuntur, quæ recentia odorem abdominalium spirant,  
saporem aromaticum, sed simul ingratissimum habent, quem ex-  
siccata sensim amittunt. Commendantur in genere ad vermes  
pellendos, ad ruetos nidorosos, ad singultum, ad dolores sto-  
machicos, colicos, & flatulentos, verum ea tunc solum adhibe-  
re licet, cum causa frigida, & ab omni inflammatione remota,  
hac mala produxerit. Antihelminticum vero esse poterunt,

quatenus stimulant, roborant intestina, sicque nidos vermium destruant, eosque expellunt. Fatuitatem quoque inducere dicuntur, quod tamen verum non est, nisi forte magna copia assumantur. Semina hæc cum floribus Sambuci in sacculo suspen- sa in musto, moschaticum vino saporem inducunt. Ingrediuntur *Elixirium salutis*, cujus unc. I. pro dosi purgante præscribitur.

**CARIOPHYLLI AROMATICI** validum admodum, tenax, sed gratum aroma habent; saporem servidissimum, oleosum penitus: hinc in morbis, ubi valido stimulo opus est, ubi mucosum, languidum, leucophlegmaticum, & hydropticum est corpus, nulla vero, sive coloris nimii, sive inflammationis suspicio adest, vel in pulvere a gr. III. ad scrup. ss., vel quod melius in infuso, sive vinoso, sive aquoso a dr. ss. ad dr. I. exhibentur. Imo & infusum Cariophyllorum, & oleum stillat. eorum in febribus intermittentibus ad frigus ægros invadens, quibusdam laudatur: interim talibus stimulantibus caute mercandum, aut omnino abstinendum est: siquidem vehementer timendum, ne febris tertiana, vel quartana in acutam continuam permutetur. Cariophylli cum aliis aromatibus e. g. cum foliis macis, cinnamomo, nuce moschata, vino fortissimo infuso, & lenissime per  $\frac{1}{4}$ . horæ decocti, ut pani tosto affundatur, externe pro fomentis inserviunt, qæ ad debilem, & frigidum ventriculum roborandum, calide applicata, apprime convenient: In Cholera, ubi homo brevi intervallo emaciatur, pulsus debilis habet, singultit, & pallida imago mortis luridam reddit faciem, toties laudatus Optimus Præceptor Antonius de Haen tale nobis fomentum commendavit: imo hoc vinum cochleatum quoque interne dari, lintea vero eidem immersa locis subaxillaribus, & iniquini, ut vires simili in casu erigeret, applicari voluit. Oleum Cariophyllorum *essentialis* causticum est fere, quod gopypio exceptum, & denti carioso excavato immisum, nervum, si eum tangere possit, destruit, & dolorem dentium sæpe miraculi instar sanat. Si oleum hoc interne exhibere, quid indicet, optime forma eleosachari id præstabas.

**CINNAMOMUM, & CASSIA LIGNEA** ob summam affinitatem simul pertractantur: odorem penetrantem, acrem, aromaticum; saporem gratum, subdulcem in fine adstringentem habent; quapropter simul stimulant, ac roborant, motum hu-

mo

morum augent, & vasa aliquantum coarctant. Datur vero Cinnamomum vel forma pulveris solum, aut aliis pulveribus aditum, vel forma tincturæ, aut infusi aquosi vel vinosi, id quod melius est, aut denique forma vini medicati: optimum enim vinum roborans, & restaurans inde paratur, si unc. I. vel unc. II. flæs I. vini infundantur. In decocto vim suam aromaticam exuit, retinet adstringentem. Prostat oleum still. Cinnamomi pretiosum valde, atque ideo sâpe spiritu vini rectificato, vel oleo papaveris adulteratum, quam vero fraudem detegere Chemia docet. Oleum hoc ubi valide stimulandum, motus humorum augendus est, ut in morbis lentis, frigidis, mucosis, & aquosis, sive hydropicis, &c. convenit: tumque aut in pilulis, aut in pulvere cum sacharo, in eleosacharum redactum, exhibetur. Magnus Boerhaavius, dum vires parturientium, nimis fractæ erant, oleum cinnamomi, debitissimam tamen cum cantelis ad guttas III. vel IV. in ovo solibili, aut eleosacharo dedit. Habetur etiam aqua Cinnamomi virtutis non spernenda; dein aqua Cinnamomi Buglossata, quæ egregium est reficiens. Denique aqua Cinnamomi cydoniata, &c. qua tamen facile carere possumus. Syrupus vero Cinnam. præcipue, si diu coquatur, non multum valet.

*CARDAMOMUM* tres in se species continet, nimirum longum, sive maximum; majus, & minus: omnes vero saporem acrem, aromaticum habent, halitum oris emendant, & ubique stimulandum, calefaciendum, motus humorum augendus est, curam omnem absolvunt. Frigidum ventriculum emendant, roborant, siccique digestionem promovent. Dantur vel in pulvere a scrup. I. ad dr. flæs. omni bihorio, vel trihorio: aut in vinis medicatis a dr. I. ad unc. flæs. Semina Cardamomi majoris, sunt acriora, quam maximi; ideoque ubi majore stimulo opus est, jure præferuntur: minus plerumque in officinis datur, ubi Cardamomum absque epitheto præscribitur: differt minus a longo acreidine majore; idcirco etiam magis stimulat, ac roborat. Prostant quoque in officinis semina Paradisi dicta, quæ cum seminibus Cardamomi nequaquam confundi debent: sunt enim magis acria, & sua tenacitate plus inflammantia.

*ENULA CAMPANA*, sive *HELENIUM* saporis est acris, aromatici, amari admodum, odoris similis. Potissimum adhibetur, ubi nimia solidorum inertia, laxitas vasorum, lensor,

&amp;

& mucositas humorum peccant: hinc in morbis aquosis, pittuitosis, leucophlegmaticis, & frigidis, ubi parvus simul, & latus est pulsus, praestantissimum est remedium; sed ubi inflammationis metus adest, summopere noceret. Radix haec ob aroma volatile non bene decoquitur, sed unc. 3. vel etiam unc. 1. libræ uni aquæ infunditur, & melle edulcoratur, quod medicamentum tussim senilem, alias incurabilem, sape feliciter curavit: etenim roborando infirma latera, excretionem muci adjuvat. Clariss. Professor Chemie D. Laugier nobile remedium in tussi convulsiva ex hac radice parat, quod hic adducere non inutile erit.

Recip. Radic. Enulæ campan. libr. I.

affundatur in vale terreo acetum vini, ut ad digitos quatuor supra emineat; relinque per octiduum, dein colaturam fortiter exprime. Dentur infanti omni bihorio duo parva cochlearia cum syrupo Violarum, Rhazados, florua Tunica, aut cum melle.

Si autem infantes nimium inde suffirent, cum vino Burgundico parari posset. Cæterum Radix Helenii bonum est remedium pro iis, qui potibus adeo sunt dediti, & ideo debilia viscera habent: si tamen illa abutantur, pessime corpus suum perdunt. Summi denique usus est in febribus intermittentibus; in podagrīcīs, & rheumaticīs dolorībus a causa frigida producētis, ubi simul calor nimius abest. Datur, ut monui, in infuso; sed etiam in pulvere, quod electuariis optime admiscetur. Prostant quoque radices conditæ, de quibus ea, quæ de radice Acori dicta sunt, adnotanda veniunt.

CASCARILLA. Cortex hic diversis nominibus ludit, siquidem Schaccarilla, Cochinchina, Cortex Peruvianus spurius dictus fuit: est autem Cortex Cascarillæ Rhabarbaro non dissimilis, saporis amari, & aromatici, odoris debilis ambarini quid referentis, prunis injectus penetrantis, & grati: vires habet stimulantes, motum humorum augentes, solventes, & leniter simul roborantes, ac sudoriferas. Ad febres intermitentes primum, cum cortex peruvianus rarus adhuc, & pretiosus esset, dein quoque ad febres petechiales, aliasve malignas, ad dysenterias &c. adhibebatur. Ludovicus Apinus primus erat, qui eundem in febribus

bus malignis, cum dysenteria conjunctis, dedit: propinavit vero dr. I. bis vel ter de die in substantia, vel extracti ejus aquosí grana V. aut VI., idque omni sere sexta hora, atque ita vel sudorem elicuit, vel alvi solutiones pulcherrime promovit, morbumque humano generi adeo fatalem, & exhorrescibilem feliciter debellavit. *Tiebnerus Heisteri* discipulus quoque testatur, corticem hunc in morbis putridis post celebratas venæ sectiones, & præmissas purgationes, aut vomitoria, summe profuisse. Interim generalis nimium usus illius evalit; in malignis quidem febribus, ubi dysenteria putridæ, vel putredinis tantum suspicio adeat, optime adhibetur; verum non agit vi quadam specifeca, sed vi stimulantibus similibus, præmissis nempe generalibus, communi. In febribus intermittentibus in penuria corticis peruviani, ut referunt *acta Parissina anni 1719.* pag. 70. summi est usus: in pleuride vero, & peripneumonia *Cortex Cascariæ & Stahlio* commendatur; sed si aliunde nimius humorum motus peccet, ob magnam resinæ partem, qua tenaciter, & periculoſe adhæret, hic male applicaretur; ubi tamen post largas venæ sectiones vires deficiunt, his quoque in morbis sensim, rapius repetita dosi, & aqua dilutus, grato suo aromate labascentes vires erigeret, & admodum prodesset. Datur autem in substantia a scrup. §. ad scrup. I. imo ad dr. I., vel in infuso vinoso a dr. §. ad II. in tinctura sive essentia a gutt. X, XX, & XXX. Extractum denique aquosum a gr. III. ad gr. VI. VIII. X. Extractum hoc præcipuam laudem habet in dysenteria, dum præmissis, aut junctis simul purgantibus e. g. Rheo, Myrobalanis exhibetur. Siquidem virtute intestina laxa roborandi eximia gaudet.

*CORTEX WINTERANUS* alio nomine *Magellanicus*, diffusus suavem odorem spargit, & aromaticum; linguæ autem impositus majore copia, & masticatus ita urit, ut cariophyllorum in modum vere inflammet. Hinc ubi corpus iners valide stimulandum, & latus nimium motus humorum augendus, ut e. g. in leucophlegmatia, hydrope, scorbuto laxo, & frigido ex vita sedentaria orto, in omnibus denique morbis frigidis, ac mucosis, non infimum certe locum obtinet. Poteſt adhiberi forma pulveris, plerumque tamen, & optime forma infusi vinosi, viue medicati. Prostat quibusdam in officinis *Tinctura ruberima,*

I  
ma,

ma, sed acerrima simul, quæ cum syrupo quodam conveniente, id quod de omnibus tincturis acerbis notandum est, prescribi debet.

*DICTAMNUS ALBUS* *Fraxinella* etiam quibusdam audit. De tota hac planta solus cortex radicum medius, *Alburnum* ditus, in usus medicos trahitur. Hic saporem acrem, amarum; odorem præsertim recens, penetrantem, & aromaticum habet: atque in morbis contagiosis, ut in peste, ubi sudor promovendus, adhiberi potest; vires enim calidas, & stimulantes continent. Datur in pulvere ad drach. I. sibi tam in infuso. Est adhuc alia species, quæ *Dictamnus creticus* dicitur, ex quo folia præcipue cum vino infusa usurpantur. Vires autem a priori haud ablidunt.

*GALANGA* *Radix* est, cujus duæ sunt species, *major* nempe & *minor*; utraque saporem penetrantem, & aromaticum habet, ut lignum Sassafras, magis tamen inflammantem: odor vero huic est latis similis: minor potissimum, si absque epitheto præscribatur, intelligenda est, tametsi visibus iisdem gaudeant. Major in taleolos scissa, & integre deglunita, ad morbos frigidos, ad debilitatem ventriculi, ad appetitum excitandum optimè datur: minor in cruditate ventriculi, in colica flatulenta &c. exhibetur. Dosis in substantia est scrup. g. ad scrup. I. in infuso aquo, aut vinoso dr. I. dr. II. ad unc. g. cui addi potest syrpus conveniens. Species *Diagalangæ* ad frigidos ventriculi morbos prosumt.

*HYSSOPUS* *Folia* habet gustu aceris, & aromatica, odore suavia: tota planta in usum adhibetur: siquidem illi vis attenuans, calefaciens, stimulans, motum humorum augens intent: infusum ejus melle edulcoratum, optimum est expectorans. Hinc dum lentus mucus, ut in asthmate pituitoso, in catarrho; aut pus pulmones, vel alias quascunque partes obsidet, calor vero, febris hectica, & suspicio inflammationis abest, egregios effectus praefat, præsertim si in labe paucilenta viscerum lactis usum siniul adjunxeris. Decoctionem non fert; exsiccati tamen utcunque potest. Prostat in officinis *aqua Hyssopi* fragrantissima, quæ ad mixturas expectorantes recipitur; tum etiam conserva, & syrpus, cui virtus aromatica, & stimulans ine-

Ex-

Externe folia contusa ad fugillationes, vel contusiones optime applicantur.

**IMPERATORIA RADIX:** validissima ejus vis illi hoc nomen imposuit: stimulantissimum enim aroma habet, ac degustata, ignea fere deprehenditur: hinc si lingua e. g. ex nimia debilitate fuerit paralytica, in talleolos scissa, eidem imposta, miro saepe effectus edidit. Interne adsumpta mucum educit, flatus a causa frigida ortos, pulsu simul imbecilli existente, discutit, ventriculum, & intestina roborat: usum certe somnum habet in temperamento frigido, & mucoso, in leucophlegmatia, in hydrope incipiente; denique ad rheumatismum, podagram, scorbutum a causa frigida productum, latidatur: neque iam luxuriandum est hac radice; siquidem urinam, & sudorem dosi etiam parva efficacissime moveat, motum humorum auger, vasa stimulat admodum: unde aperit, incidit, attenuat vehementer. Si igitur in omnibus praedictis morbis calor, sitis, aut febriculae adint indicia, si inflamatio vel praesens, vel futura metuitur: aut hydropicorum aquae corruptae sint, ingens nocumentum adfert. Interim tamen infusum ejus multa aqua dilutum, & melle edulcoratum, in acutis etiam, quales sunt pleuritis, & peripneumonia, circa crisi, ubi per repetitas venae sectiones, & alia remedia vires debilitatem sunt, febrisque deferunt, materia vero cocta expelli nequit, summo cum effectu exhibetur. Datur ceteroquin radix haec in substantia a scrup. I. ad dr. ss. melius autem in talleolos minores scissa, ut omni hora frustulum deglutiatur: vel in electuario cum melle; aut denique forma insuli aquosi, & vinosi; majorem tamen vehiculi copiam obacrimoniam suam requirit. Vinis medicatis quoque magnam vim communicat. Dosis ordinaria est unc. ss. pro lib. I. aquæ; in hydrope autem, si impune liqueat, unc. I. vel unc. II. ad lib. I. vini generosi, vel etiam chalybeati, sumi possent. **Extradum** Imperatoria efficax est stimulans, quod a gr. V. ad X. exhibetur. **Folia** recentia cum sale, & aceto contrita, ad contusiones, strumas, tumores frigidos discutiendos laudantur; calor tamen absit oportet, ac interna simul remedia non negligantur.

**JUNIPERUS.** Bacca Juniperi odorem referunt balsamicum, & fragrantem, saporem linguae imprimunt gratum, aro-

maticum & stimulantem; vires habent diureticas, & fatus (intellige semper a laxitate ventriculi, & intestinorum debilitate ortos) discutientes. Omnia præparata officinalia præclarum usum habent in leucophlegmatis, & hydrope incipiente, dum aquæ adhuc per urinæ vias educi possunt. Præstantissimum autem remedium est Rob baccarum, si unc. I. ejusdem solvatur in unc. VI. aquæ destill. Juniperi, & omni hora unum, vel duo cochlearia exhibeantur: mira enim penetrabilitate omnia vasæ transit, stimulat, motum humorum promovet, sudorem, & urinam (hanc etiam violaceo colore tingit) efficacissime pellit; & vi ballamica simul putredini resistit. Infusum baccarum ob effectus eosdem laudatur, & ad diathesin calculosam commendatur, vitando tamen sanguineum temperamentum. Prostat imo in officinis aqua Juniperi, quæ cohobata præcipue magnarum est virium. 2do oleum still. quod ad gutt. IV. aut VI. in eleosacharo adhibetur. 3to Spiritus Junip. & tandem syrupus, quæ omnia in prædictos morbos miram efficaciam exercent: si omnia præparata simul milceas, obtinebis mixturam diureticam certe optimam. Lignum Juniperi Quajaco substitui potest: ceterum in suffumiis ad aerem depurandum usurpatur.

*LAVENDULA.* Binæ ejus sunt species, similis tamen virtutis & usus; odorem habent gratum, fragrantes, in omnibus suis partibus: saporem balsamicum, acrem, & aromaticum. Hæc planta in corpus adsumpta, solida stimulat, motum humorum auget, spiritus nimium torpidos excitat: hinc mala a debilitate senili, a lentore, inertia, mucositate, a frigore orta optime sanat. Ea de causa superbo etiam cephalici titulo donata fuit, tametsi talia nulla sint, nisi cognita prius causa, medicamenta: nunquam enim, ubi calor prænaturalis adest, similia convenient. Flores instar potus Thée infusi in morbis capitis, ut in memoria debilitate, in vertigine, paralyse, lethargo, aliisque cerebri malis, a lentore obortis, profundunt. Inter Emmenagoga, & Aristolochica in causis dictis merito etiam recententur. Possunt ex Lavendula sacculi, eucuphae dicti, parari, qui in doloribus capitis a causa frigida natis, abrasis anæ capillis, cum successu applicantur. Lavendula vestibus inspergi solet, tum ob odorem, tum ut tineas arceat, & fuget. Habetus aquam still. spiritum, oleum still. quod oleum spicæ audit: denique

nique conservam Lavendulæ. Si drach. I., II. vel III. hujus conservæ in unciiis II. vel III. aquæ propriæ dilutæ, mane potentur, in debilitate ventriculi, in vestigine senili &c. optimum habetur medicamentum. Aqua Lavendulæ nervis amica est valde: ideoque pro mixturis hysteriarum præstantissima. Oleum vero still. in superius allatis morbis insignem efficaciam exercet.

*LAURUS* folia habet, quæ saporis sunt acris, aromatici, amaricantis, & subinde ad roboranum ventriculum, & ad pellenda menstrua a muco impedita, in substantia ad drach. ss. in infuso ab unc. ss. ad unc. I. præscribuntur. *Baccis* tamen potissimum utimur, quæ sunt aromaticæ, acres, & subamaræ, stimulo inflammatorio præditæ: usum habent in morbis frigidis, ubi humores nimium sunt mucosi, inertes, solida laxa; idcirco in leucophlegmatia, in hydrope, in frigiditate, & laxitate primarum viarum; in morbis pallidis virginum, in chlorosi; denique ubi tenaciore, vehementioreque stimulo opus est, profundit. Unde etiam in peste, & morbis contagiosis fere omnibus, ubi debilitas adest, & volatile adhuc miasma per sudores expelli potest, convenienti. Varia jam forma exhibentur uti e. g. in pulvere a gr. X. ad scrup. I. additis simul aliis pulverulentis: in infuso vinoso ab unc. ss. ad unc. I. pro hora I. vini. Prostat duplex in officinis oleum baccarum Lauri: stillatum nempe, & coccione paratum, quod postremum interne vix adhibetur, in clysmatibus tamen, absente inflammatione dari posset. Externe vero ad articulos rigidos, nisi inflammatio sublit, inunctione prodest. *Emplastrum de baccis Lauri* supra alutam extensum, abdomini applicatum, in diarrhæa laudatur. Ceterum baccæ Lauri, cum Aristolochia rotunda, Gentiana, & Myrrha ingrediuntur Theriacam Diateffaron, cuius tripla est mellis quantitas: præclarum sane remedium, cuius virtutem in laxis, & frigidis morbis tot felices in Nosocomio curæ satis testantur.

*MACIS, & NUX MYRISTICA*. Nuces istæ sunt oleosæ, saporis grati, calidi, & aromatici: in flatibus, & torminibus ventris; præcipue autem in diarrhæa, & dysenteria a vulgo adhibentur: id quod bono cum successu fit, si mala hæc a laxitate tantum, & a frigida causa orta sint: atque tum vel cum sacharo pulverisantur, vel fine eo raduntur assumentæ. Dosis est scrup. I. ad drach. ss. Dum stranguria ab adlumpta cerevisia nasci.

nascitur, Nux Moschata s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e citum levamen adfert; Ex nucibus his, vapore aquæ calidæ emollitis, oleum exprimitur, quod *oleum Macis*, vel *Nucissæ* audit: est vero illud aurantii coloris, butyri consistentiam habens, & in morbis frigidis, atque in rigiditate articulorum, ubi nulla timetur inflammatio, bonum satis linimentum præbet; notandum est autem illud, non ad guttas, sed ad grana præscribendum esse. Ceterum omnibus febre balsamis artificialibus basin dat. Habetur etiam *oleum essentiale Nucis Moschatæ*, quod post oleum Cinnamomi, cui quandoque substituitur, primum locum tenet. Datur in dictis morbis a gr. I. ad gr. IV. forma eleosachari, vel in liquore quodam spirituolo. *Aqua still.* & *spiritus* inde paratus satis sunt efficaces.

Nomine *Macis* venit cortex reticularis, qui cortice viridi ablato, nucem tegere conspicitur, acer, aromaticus, oleosus: hic quoque vires aromaticas, penetrantissimas possidet: ideoque uti cætera aromaticæ, ubicunque corpus nimis debile incitandum, & stimulandum est, in debili, & frigido ventriculo &c. juvat: quem in finem in infusis stimulantibus, & aromaticis, in vinis medicatis frequenter adhibetur.

**CORTEX SIMARUBÆ** saporis est amari, & aromatici: vires stimulantes simul, & roborantes habet. In diarrhœa, & dysenteria a laxitate orta, celebre medicamentum: si enim tum præmissis purgantibus, quarta quavis hora ad drach. ss. in substantia cum una quarta parte grani opii exhibeatur, eos morbos s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e felicissime debellat. Interim quoque forma decocti non inepte exhibetur: sed decoctio per bihorium fieri debet, ut virtus ejus satis extricetur: proportio est unc. ss. pro pintha una aquæ, colaturæ dein additur syrups Diacodii ad unc. I, ut æger omni bihorio adsumat unc. II. Alii solent drach. II. hujus Corticis cum hbris II.  $\nabla$ , aut cerevisiæ ad residuum partiis tertiaris decoquere, illudque in partes quatuor dividere, ac ægro tertia quavis hora unam calide propinare, quo fieri dicunt, ut dolores mitigentur, copiosa urina reddatur, parcior neque ita fatida alvus excernatur, & morbus integre persanetur. Interim notandum est, corticem hunc nocere, ubi putredo, abscessus, cancer, ac scirrhous talem dysenteriam faceret. Ceterum etiam est antihelminticum; tum vero cum Rheo plerumque dari solet.

MEN-

*MENTHA* plures continet species, quæ omnes odoris sunt grati, & aromatici; *crispa* tamen reliquis præfertur. Vires ei insunt calefacientes, stimulantes, motum humorum augentes; hinc vires cum aliis plantis aromaticis communes habet: ventriculo vero, & nervis præcipue quid amicum possidet: ideoque in morbis frigidis ventriculi, in singultu a perturbato motu spirituum orto, in affectione hysterica, in convulsione hysteriarum pulcherrimi est usus. Datur in pulvere; melius autem in infuso aquoso, vel vinoso, ad m. I. pro libra I. liquid. Prostat aqua still. Menth. cum vino, & sine eo facta; dein spiritus, syrupus, confixus, & oleum stillat., quæ præparata omnia in recentis paulo antea malis, apprime convenient. Oleum Menthæ teste Cl. Boerhaavia languorem ventriculi fere paralytici superat. Dam aquæ Menthæ unc. VI. spiritus Menth. unc. ss. syrup. Menth. unc. I. miscentur, additis XXX. guttis Laudan. liquid. Syenham. mixtura præstantissima evadit, quæ fæminis hystericis saepe & gratissima est, & cito levamine medetur. Aqua Menthæ sub finem intultus epileptici, & hysterici vires languentes pulchre erigit. *Immortalis* Boerhaave Chem. Tom. 2. process. 16. sic ait: „Menthæ crispa herbam ter, quater cohobando, regredi in liquorem balsamicum, penetrabilem, qui in roborando debili ventriculo, in frigida, lenta, mucosa pituita stomachi, in vomitu hinc orto, in lienteria remedium dabat incomparabile, promptissime succurrens laborantibus, ut nihil supra.

*MAJORANA* odorem emitit fragrantem; saporem vero lingue imprimbit aromaticum, subamarum, penetrantem, ac stimulantem, imo totum quasi corpus transeuntem. Duplex illius est species: *nobilis* nempe, & *vulgaris*. Prima odore fragantiore gaudet. Inter cephalicas olim numerabatur: & certe in vertigine senili, in primarum viarum debilitate, & ubicunque movendum est, summo usu se commendat. Infusum ejus cum melle plurimum valet, dum mucus iners pectus obstrictet. Folia contorta naribus imposita, bonum erithinum præbent. Sacculi denique ex ea etiam siccii parantur, diversis corporis partibus stimuli causa, & præcipue capiti cucupharum instar applicandi: quem in finem illi junguntur folia Rorismatini, Salvia, Lavendula, Betonica &c. Decoctionem non fert, exsic-

exsiccationem tamen utcunque patitur. Prostat aqua still., quæ in genere locum habet ad spiritus tardos excitandos: in specie vero ad nares obstructas referandas. Hunc in scopum unc. sc. vel unc. I. manæ in una, alterâve uncia aquæ still. Majoranæ solvitur, ut e cava manu naribus attrahatur. Gravedinem tamen hypochondriacorum, à crassitie omnium fere corporis humorum ortam, sæpe non iuvat, nisi reliquæ simul referentur obstructions. Prostat denique conserva, & oleum essentiale, quod forma eleosachari ad morbos nervorum seniles laudatur, atque muco tenaci uteri, frigidæque ejusdem destillationi, ut inquit Cl. Boerhaave *Chem.* Tom. 2. process. 30. singulare, pulchrumque est.

*MARUM* odorem aromaticum, adeoque vehementem habet, ut mane diu haustus collectionis tempore, caput turbet, & sternutationem producat: fortè quoque acridinis sensum in gustus organo excitat. Vires ejus sunt valide stimulantes, & admodum utiles, præsertim ubi irregularis spirituum motus hysteriarum est compescendus. Ceterum eundem cum Majorana usum habet: nisi quod omnia Mari præparata multo sint efficaciora. Notandum est tamen illis, qui ab odore abhorrent, non facile dandum esse. Singulare præterea illud hæc planta habet, quod feles eam adeo ament.

*MASTICHINA* tum structura, tum virtute Maro est similis; hinc communes etiam cum illo usus habet.

*OXYMUM* in officinis medicis *Basilicum* dictum; odorem spargit gratum, jucundum, aromaticum, ac valde penetrantem; saporem linguæ imprimit subacrem, atque balsamicum: merito igitur inter cephalicas, nervinas, cardiacas, carminativas, pectorales, & uterinas numeratur, & a Melista virtute, ac usu non abludit. Præscribitur plerumque in infuso vino ad unum, alterumve pugillum: externe inter balnea nervina, & facculos discutientes, ac roborantes, & que ac Melistæ species, recipitur.

*PULEGIUM Latifolium*, & *Angustifolium* habetur, saporis, & odoris est stimulantis, ac penetrantis: Vires illi insunt calefacientes, aperientes, crassa, & mucosa attenuantes: quod vero ad virtutes emmenagogas, & aristolochicas attinet, illæ certe, si catamenia ob tardum humorum motum, ob stagnantia crassa liquida desiderentur, summae esse deprehenduntur. Verum pessi-

pessime abutit solent mulierculæ hac planta, dum in omni mensum, & lochiorum defectu, infusum ejus exhibit: si enim inflammationi uteri, vel calorî nimio defectus ille suos natales debeat, ingens calamitas miseris est metuenda. Infusum Pulegii melle edulcoratum, ad morbos pectoris mucosos, ad catarrhum senilem, ad asthma pituitosum, ut hyslopus laudatur. Dosis est. m. I. aut m. II. pro libra I. aquæ. Coctionem non patitur, exsiccationem uteunque fert. Habent officinæ aquam still. Pulegii, cuius usus eximius est, ubi indicatio aperire, calefare, attenuare, & stimulare jubet: pulchrum præterea est nervi-  
num; hinc ad mixturas hysteriarum, & hypochondriacorum, ad sopiendos mirabiles eorundem spasmos, adhibetur. Oleum ef-  
fentiale easdem vires possidet.

*RUTA* singularem prorsus, & penetrantissimum tum odorem, cum saporem habet: ideo fit, ut hæc planta adsumpta, cunctas corporis partes transeat, omnemque ibi lentum humorem, & stagnantem fundat, & excutiat. Fætor ejus graveolens cum summa penetrabilitate junctus facit, ut irregulares spiri-  
tuum motus, & spasmi hysteriarum, ac hypochondriacorum a tali causa nati, feliciter tollantur, menses vero, qui huic per-  
turbato spirituum motui defectum debent, denuo restituantur. Unde merito inter Aristolochica, & Emmenagoga recensetur. Præcipuus autem hujus plantæ usus est in febribus malignis, & in peste, ubi vires vita valde languent, miasma interim ex aere suscepimus, per sudores adhuc e corpore eliminari potest. Optimum tunc temporis tale foret infusum, quod fieret ex m. II. Rutæ cum lib. I. aquæ, cui additur aceti lib. ff.; hoc namque re-  
medium mire excitat, absque eo, quod inflammet, ac per fudo-  
rem, & transpirationem egregie agit, purredinique simul valide  
resistit. Externe cum sale, aceto, & fermento panis folia Ru-  
ta bona præbent epispastica, quæ, ubicunque a partibus supe-  
rioribus revellendum est, plantis pedum insigni cum effectu ap-  
plicantur. Prostat *Acetum Rutaceum*, quod cochleatim exhibitum,  
in malignis, & contagiosis morbis, cum insigni debilitate con-  
junctis, eximiā opem adfert. *Aqua still.* Ruta in mixturis horum morborum optime recipitur; & turbis spirituum pulchre succurrit. Ingens Boerhaave Chem. Tom. 2. process. 16. afferit,, nun-  
,, quam deprædicabo Ruta aquam crebra repetitione paratam

K

, pro

„ pro dignitate satis. In epilepticis, hystericis curandis, in ve-  
 „ neno pellendo, in sudoribus, ac diaphoresi prolixiendis,  
 „ quid præstantius? *Oleum effent.* forma eleosachari pilula-  
 rum &c. exhiberi potest: Quod adfirmante iterum *Cl. Boerhaave*  
 „ epilepsiam a laxo, frigidoque, dum curat, simul anthysteri-  
 „ cum eximium, quoties id mali frigida de causa. Habetur etiam  
 extratum, & conserva, quæ tamen de virtute sua aliquid amise-  
 runt.

*SABINA* odorem singularem, attamen satis gratum ha-  
 bet. Planta hæc magnarum est virium, & multum olei esen-  
 tialis continet: omnibus jure laudatur a virtute Emmenagoga,  
*Aristolochica*, & Antiparalytica; atque scelestæ fæminæ illius  
 ope fatum e sinu materno exturbant; verum ob hæmorrhagiam  
 inde sequentem summum vitæ periculum incurunt. Vires enim  
 valde stimulantes, calefacientes, & motum humorum augen-  
 tes possidet. Pessime proinde vulgus eam in omni defectu men-  
 sium adhibet: siquidem talia stimulantia, uti sèpius jam monui,  
 nunquam locum habere possunt in casu, ubi inflammatio, aut  
 defectus sanguinis, impediti catameniorum fluxus causa est; sed  
 tum solum convenient, cum tenacitas mucosa id mali pro-  
 duixerit. Sic quoque in morbis paralyticis tunc primo exhiben-  
 da erit, quando cessante jam apoplexia nullus amplius calor  
 præternaturalis deprehenditur. Solet in infuso aquoso, vel vi-  
 no, ad unum, alterumve pugillum præscribi. *Aqua sibylla.* *Sabi-*  
*næ*, præcipue cohobata egregiæ est virtutis, de qua *Cl. Boerhaa-*  
*ve* in processu antea citato 16. iterum hæc verba habet: „ *Sabinæ*  
 „ frondes aquam dedere cohobando paratam, quæ omnes ner-  
 „ vos simul impetu vix credibili commovebat; hinc inter Ecbo-  
 lica, Emmenagoga, Hæmorrhoidas moventia, calefacientia,  
 „ remedium pulcherrimum, si modo adhibetur, ubi convenit.  
 Hanc aquam adhuc superat *oleum essentiale Sabinæ*; quod ubi sti-  
 mulandum, motus humorum augendus, febris quasi artificialis  
 excitanda; ac denique menstrua, & lochia a languore solo reten-  
 ta, pellenda sunt, summum est remedium. Dolis autem est gut-  
 ta una, vel altera in eleosacharo, in pilulis &c. quæ pro Medi-  
 ci judicio etiam augeri potest.

*SALVIA*. Duas potissimum *Salviæ* species officinæ medi-  
 ex habent: *majorem* scilicet, ac *minorem*: quæ virtute sua omnino  
 sunt

sunt æquales, gustu adstringentes, stimulantes, & roborantes; ubi igitur humores dissolvuntur, putredo metuitur, miasma adhuc volatile diffundendum est, egregium *Salviae* infusum exhibet medicamentum: grato enim suo stimulo motum humorum auget, contagiosum per sudorem, & transpirationem expellit; virobante, sive adstringente humores compingit, & solida roboret; denique putredini etiam resistit. In sudoribus nocturnis cohibendis, quibus homines post febres intermittentes, aut etiam Hypochondriaci, & Melancholici sæpe diffluunt, dummodo hinc sint colliquativi, *Salvia* cæteris omnibus palmam præripit, tum vero infusum cum spiritu vini parari debet; Proportio est m. I. ad 15. I. spiritus; ex quo ægri cubitum ituri duo cochlearia sumant: qui spiritum vini non ferunt, cum vino infundere possent; tametsi minore cum effectu. Ceterom infusum *Salviae* ad sanandas laxas, putridasque scorbuticorum ginges optimum collutorium præbet. Prostata aqua, & oleum stillat. *Salvia*, quæ reficiendi, & stimulandi gratia præscribuntur.

*SEMINA SANTONICI*, Semina Cine quoque dicuntur: hæc si recentia fuerint, odorem fragrantem, saporem calidum, aromaticum, camphoram quasi redolentem, cum penetrabili admodum amarore conjunctum habent: virtute gaudent omnibus aromatibus communi: hinc iterum in primarum viarum debilitate, & ubicunque stimulandum, & roborandum est, locum habere possunt: tametsi tunc aliis, his longe præstantioribus, officinæ abundant remediis. Merito autem inter antihelminтика referuntur: experimentis enim repetitis constat, vermes ab his seminibus adsumptis, enectos fuisse: id quod intestina roborando, & stimulando, pituitam incidendo, sicque nidos vermium destruendo, non vero amarore suo præstare videntur. Optime dantur vel sola in pulvere a scrup. I. ad dr. I. vel cum purgantibus e. g. cum Rheo, cum Mercurio dulci mixta. Interim etiam in infuso tum vinoso, tum aquoso præscribuntur, aut denique cum melle in formam boli, aut electuarii rediguntur.

*SERPILLUM & THYMUS*. Duæ hæc plantæ externo habitu, & virtute sunt æquales: validissimum, ac penetrabilissimum aroma in se continent, atque ubi totum corpus, vel quandam ejus partem lensor occupat, motus humorum languet,

stimulanda solida, liquida vero crassa, lenta attenuanda sunt. & dividenda, locum habent. Hinc in catarrho senili, frigido, ubi crassa pituita pulmones obsidet, absente febre, & calore, infusum earum cum melle laudatur: dosis est m. I. pro fl. I. aquæ. Folia externe in fäcculis applicata tumores frigidos discutunt. Ceterum ad fomenta, & balnea roborantia adhibentur. Prostat oleum essentiale Serpilli, quod acrimonia sua omnia olea Europea tuperat, ideoque interne vix dari potest. Usitatisissimus autem, ac vel mulierculis cognitus est spiritus Serpilli, qui, dum stimulare convenient, interne exhibetur, & externe quoque partibus affrictatur.

**ZINGIBER** Radix culinis, & officinis medicis inservit; saporis est servidi, & fere ardentis; odoris grati, & aromatici: summo cum successu adhibetur, ubi valide, & absque discrimine stimulandum, ut in morbis frigidis fieri assolet: cum vero radices Zingiberis acres adeo sint: syrupo sachari conditæ præstant, quæ, dum ventriculus debilis est, atque pituita abundat, convenient: si enim tunc drach. 8. vel drach. I. ter de die deglutiatur, fibras irritat, ventriculum, & intestina roborat, pituitam educit. In febribus autumnalibus tempore ἀπυρεξίας forma conditi cum Theriaca, prædicta dosi ter de die bono cum effectu adsumitur: male vero faciunt illi, qui talia aromatica cum spiritu vini in primo stadio intermittentium eibunt: has enim non raro in acutas inflammatorias mutant, quæ ultimam ipsius perniciem minitantur. In pulvere hæ radices vix præscribuntur; poscent tamen ad grana XII. hac forma exhiberi. Infusum totam earum vim extrahit; & vinis quoque medicatis optime adduntur. Oleum stillat. valde temperatum est, licet radix tam acris esse deprehendatur.

### Gummi Ferulacea, & Resinæ.

**Q**uid Gummi sit, quid Resina, aut Gummi - resina ex Chemicis notum suppono: solas ego virtutes medicas, easque præcipuas examino. Varia autem habentur Gummi, quæ inter tria sunt Ferulacea: scilicet Ammoniacum, Galbanum, & Sagapenum; quibus nonnulli Opopanax adnumerant.

**GUM-**

**GUMMI AMMONIACUM.** Gummi-resina melius dicenda foret: odorem gravem; saporem aromaticum, & amarum habet, cum ingrata penetrabilitate conjunctum. Optime adhibetur illis in morbis, in quibus sensim, & leni calore stimulandum, hypochondriacæ, melancholicæ, & hystericae obstructiones referandæ, aut irregularis spirituum motus compescendus, spasti sponendi, intestina laxa, & flatibus distenta, roboranda sunt; nimius vero calor abest. Per menses tum sàpe forma pilularum adsumi debet: excitat enim, roborat, solvit: hinc deibilitatem ventriculi ad gr. VI, VII. exhibitum, belle curat: dumque simul purgandum est, Aloe, Sapo Veneris &c. adjungi possunt, quo fit, ut etiam bilis vices pulchre suppleantur. In mucosis præterea, & lentiis morbis pectoris, ut in orthopnoëa, in asthmate pituitoso, &c. & ubique crassus humor peccat, optato successu non caret. Forma pulveris præscribi non debet, tum quod difficulter pulverisetur, tum etiam, quod multum de virtute sua perdat. In mixtulis valde est nauseosum; interim aliquando hac forma dandum est: tum vero vitello ovi antea solvendum erit. Celebratissima est illa mixtura Bruneri in asthmate pituitoso, & in paroxysmo præsertim utilis, quæ fit ex uncis III. aquæ Hyssopi. Unc. ss. vini Rhenani, & drach. I. Gummi Ammon. cui sàpius pro varia ratione egregie additum est Oxymel squilliticum, spirit. salis Armen. &c. Ceterum notandum restat, quod si aceto depuretur, virtutem amittat. Externe Gummi hoc summum est resolvens; ideoque ad indurationes frigidas, ad scirrhos resolubiles, ad bubones venereos induratos dissipandos, cum aliis in emplastrum rediguntur, & applicatur.

**BDELIUM** odoris non est ingrati quidem, sed neque efficacis: si masticeetur primo nullum, dein amarum vehementer, & durabilem linguæ saporem imprimit: Gummi hoc usitatum adeo non est; virtute tamen, & usu cum Ammoniaco utunque convenit.

**ELEMMI** Resina potius mollior est, quam Gummi: odoris, & saporis est balsamici; incensum, gratum odorem spargit. Usus ejus tum internus, tum externus rarus est. De cetero vis balsamica, & vulneraria illi ineft.

**GALBANUM** est corpus Gummi-resinosum, quod odore singulari, sapore penetrantissimo, amaricante gaudet: impudius est Ammoniaco, attamen odoratum magis: ideo quidam illud aceto depurare volunt; ast virtus maxima per hoc dissipatur. Aequales prope cum Gummi Ammoniaco virtutes, & usus habet: interim tamen ob majorem fragrantiam eo in casu præferendum est, ubi irregulares solum spirituum motus compescendi sunt: Ammoniacum vero melius est, si stimulus diu applicandus, & balneum quasi siccum tota die requiratur, obstrunctionesque simul reserandæ sint. Gummi Galbanum menses, & lochia a perturbato spirituum systemate remanentia, insigniter promovet. Datur cum aliis gummatibus, & Therebinth: q.s. forma pilularum. Externe tandem specie emplastri cum Castoreo, Ala fætida hysteriarum umbilicis cum successu apponi solet: præterea accensum, & supra alutam extensem, ad bubones, & anthraces applicatum laudatur.

**MYRRHA ALEXANDRINA** odorem suavem, & gratum gusto halitum spirat; efficaciam continet diuturnam, totum fere corpus permeantem, amarorem emitit non inanem, & balsamicum: hinc ubi stimulus magis diuturnus requiritur, & vasa roboranda sunt, optime exhibetur. Si stomachus iners, debilis, mucosus, ac lenta quadam materia quasi obductus; si prostratus appetitus a vita sedentaria ortus sit, vi sua sensim exhalante, & stimulante, summopere juvat, præterquam quod putredini simul efficacissime resistat: Menstrua quoque pellit, non tam vi quadam specifica, sed robore, stimulante, ac mucum incidente; calidis idcirco, & plethoricis ab hoc remedio est abstinentium. Myrrha interne raro in pulvere datur, rectissime vero in pilulis a scrup. ss. ad scrup. I. Resina hac spiritu vini soluta, efficacissimum præbet remedium, quod cum Croco, & Aloe nobile illud *Elixir proprietatis*, longævitatem liberaliter adeo promittens, ingreditur: tametsi vero eandem largiri non possit, egregium nihilominus est medicamentum, five forma secca pilularum, five humida exhibeat. Ruffus Ephesius primus hoc Elixir forma pilularum dedit, quæ certe summam opem ferunt, ubi iners, glutinosum, & mucosum corpori inest, ac lensor sanguinis menstrua retinet. Solent tunc gr. X., aut XV. per dies aliquot adsumi, siquidem pulchre roborant, incidunt,

dunt, & evacuant. Massa hæc pilularum nostro in dispensatorio Croci loco, Gummi Ammoniacum recipit, & pilulae pestilentiales nuncupantur. Elixir Paracelsi multis in morbis magni aestimatur a practicis, atque in paupo antea recensitis malis a gutt. XXX. ad gutt. XL. ad L. usurpatur. Si Elixiris proprietatis unc. ss. misceas cum liquoris terræ foliat, tartari, & tinctura Myrræ aa unc. ss. sicque omni trihorio guttas L. cum cochleari vini porrigas, insigne remedium habes, quod catamenia deficientia in corpore, ubi sufficiens plethora adest, passim feliciter restituit. Myrrha ceteroquin id mirum habet, quod cum omnia fere menstrua renuat, per albumen ovi solvatur, & oleum fundat, quod oleum Myrræ per deliquium dicitur: hoc ad fissuras labiorum, a frigore ortas, ad papillas mammarum a causa externa fistulas, quod e. g. infans eas momorderit, inservit. Prostat essentia Myrræ, quæ cum multo sale alc. constet, ad gangrenam, & ulcerum putredinem accipi haud debet, interim ubi fistulae detergenda sunt, plurimum valet. Externe pulvis Myrræ partibus putridis inpergitur, easque egregie sanat: acris enim comercium tollit, putredini resistit, & exsiccat: Chirurgi eum quoque ossibus cariosis adhibent.

*OPO PANAX* est corpus odoris gravis; saporis mire balsamicæ, comite quadam penetrabili amaricie; in spirituum *ataxia* in languoribus melancholicis, hystericis, & hypochondriacis apprime conveniens: volatile enim illud aroma nervos stimulat, viscosum excutit, & spiritus ad certas partes applicat. Usus ceterum similes cum Gummi Ammoniaco, & Galbano habet.

*SAGAPENUM* odoris rursus est gravis, & virosum; sapor amarum quid, & aliaceum præfert. Vires eadem sunt cum Gummi Ammoniaco, & Galbano, nisi quod virtus stimulans in Sagapeno major sit, teste summa graveolentia; hinc in morbis hystericis, & hypochondriacis, ubi irregularis spirituum motus est reducendus, saepius vel naribus hautum, miseris fæminas sanat: illud præterea habet, quod fæces olidissimas reddat.

*ASA FÆTIDA* corpus est Gummi - resinorum, odoris ingrati, & si recens fuerit, olfactui intolerabile; saporem, & vim calefacientem, ac stimulantem, cum penetrabilissima amaritatem

ritie conjunctum habet. Vires ejus Gummi Galbano, & Ammoniaco sunt analogæ, magis tamen excitantes, stimulantes, & calefacientes: Quare in compescendo irregulari spirituum motu, & in paralyssi, in febris artificialis excitanda est, & penetrabilissimum remedium requiritur, reliquis præfertur: nocet autem plethoricis, temperie calida præditis, & simul admodum mobilibus hystericis, hypochondriacisque. Atque hæc ratio est, quod multi ab interne adsumpta lœdantur: sin vero calor nimius absit, turbas, & spasmos a perturbato spirituum systemate ortos, optime compescit. Mulieribus, quæ sunt temperati phlegmatici cum Gummi Ammoniaco, vel Galbano præscribitur: solent tunc grana XV. Asæ fætidæ, ad drach. I. Gummi Ammon. accipi, & cum Therebinthina q. s. catapotia formari, ut fætor obvolvatur. Parantur inde quoque poma hysterica, quorum odore solo turbæ hysteriarum sæpe feliciter compescuntur. Interim notandum est, fæminas quasdam valde mobiles hunc fætorem non ferre, quin convellantur, quibus itaque dari non debet. Conficitur inde iunctura satis nauseosa, quæ cum aqua Rutæ in paroxysmo hysterico exhiberi potest. Hoffmannus Asam fætidam inter præcipua antihelmintica resert.

*CAMPHORA* mirum profecto corpus, nec ulli alteri simile; ad nullum igitur genus revocari potens: neque longo etiam examine hic loci naturam ejus indagabo, quum sola integrum dissertationem exposceret: solas igitur virtutes illius medicas adferre libuit. Est autem Camphora nostra odoris aromatici, fragrantissimi, admodum volatilis, quo omnia loca replet; saporis pariter aromatici, ignei fere, ac penetrabilissimi totum brevi corpus permeantis. Vires ei a quibusdam calefacientes, ab aliis refrigerantes adscribuntur: Verum argumenta, quæ pro frigore adferuntur, fallacia sunt, & captiosa: venerem enim extinguere dicunt; sed qui Camphoram tractant, idecirco prole non carent. Ast virtutem calefacientem, vis aromatica, tenuitas, & volatilitas satis superque docent: quam penetrabilis enim sit, sudor evincit, qui post adsumptam Camphoram eandem redolet. Quantos proinde effectus exerat in febris acutis, a virulento contagio ortis, norunt omnes practici, præsertim si materia morbosa tenuis adeo, & mobilis fuerit, ut per sudores diffundi queat. In illis dein morbis acutis, in queis

queis ingens debilitas, jactationes assidua, tendinum subsultus vix non extrema minitantur, in hoc remedio optatae mortarium salutis spem reponere licebit. In febribus exanthematicis præterea, ubi circa tempus criseos projectæ admodum vires cordis, materiam morbi ad cutis superficiem propellere non possunt, Camphora stupendo cum effectu exhibetur: dabat tunc Clarissimus, & non satis astimandus, mihiique æternum venerandus Professor Antonius de Haen emulsionem ex seminibus Melionum, & Cucumerum, cujus libris circiter duabus grana X, vel XV. Camphoræ admiscebatur, & pro ratione morbi omni hora unum, aut omni bihorio duo cochlearia propinari jussit. Interim etiam forma pulveris cum radice Contrajervæ, & Serpentariae Virginianæ dedit. Cum Radice Zedoariae, & Sacharo optimum sane, teste Minderero in tractatu suo de peste est antiloicum. Ceterum in bolo, in electuario, in potiunculis, in tinctura, catapotiis, & mixturiis a gr. V. ad X. XV. adhibetur; tametsi major, aut minor quantitas a Medici judicio dependeat: in casibus autem, ubi inflammatio vel adest, vel incipit, semper contraindicatur: nocet denique plethoricis, & strictis Subjectis. Quod ad reliquum Camphoræ usum attinet, eam ILLUSTRISSIMUS PRÆSES epilepticis cum successu propinari posse monet: inter carminantia vero non ultimum locum tenet. Cum plerique resinis id quoque commune habet, quod lentorem viticolum incidat, attenuet, resolvat; hinc si scrup. I. vel dr. ss. Camphoræ cum drach. I. Gummi Ammon. Galbani, aut Sagapeni miscetur, & inde formentur pilulae, sive omni trihorio, vel quatrihorio gr. IV. vel VIII. deglutiantur, præstantissimum est remedium, in frigida humorum diathesi, quod feminas hystericas, affinesque viros hypochondriacos mire solatur: videndum est tamen, utrum odorem Camphoræ ferant, ne forte in majorem seditionem nervorum conjiciatur. Si forma mixtræ præscribatur, vitello ovi, vel cum amygdalis ante subigi debet: proportio autem hæc est, ut vitellus medius, vel amygdal. scrup. II, aut tripla sachari quantitas, pro granis XV. Camphoræ accipientur, & cum ea terantur. Mulieres Camphoram accendent, & in aqua extinguunt, idque saepius repertunt, donec aqua Camphoram redoleat: hæc aqua pulchras vires habet, quam hic Viennæ passim puerperis exhibent.

L

Pro-

Prostat Spirit. Vini Camphoratus, qui interne adsumptus stimulat, spiritus animales, vitales, naturales, & cerebrum ipsum excitat, grate afficit, ac movet. Tinctura Myrræ cum Aloe, & spiritu vini Camphorato Chirurgis ad proserpentem gangrenam, & ad ossium cariem externe applicata, laudatur. Camphora cum Mastiche, Benzoin, Olibano &c. insigne quoque præbet suffumigium ad partes paralyticas roborandas, frigidosque hypochondriacorum tumores discutiendos, & dissipandos, præfertim si frictio accedit. Ingreditor denique multa unquenta, linimenta, & emplastræ, de quibus omnibus agere longum nimis foret.

*STYRAX* sive *STORAX* juxta omnium authorum sententias in tres distinguitur species, quarum prima est in granis, quæ nunquam ad nos adfertur: altera *Styrax Calamintha*, quæ maxime est usualis: & ultima species est *liquida*. De duabus posterioribus jam breviter agendum erit.

*STYRAX CALAMINTHA* est lachryma ex arbore malo cotoneo simili fluens, odoris grati; saporis resinosi balsamici, & subdulcis: interne raro adhibetur: quamvis ad morbos pectoris, ac renum leniendos commendetur, idque ob vim suam balsamicam, ac detergentem; nam effectus ejus nullis adhuc constat experimentis: interim dari posset in pilulis a drach. ss. ad drach. I. Externe in suffumigiis adhibetur. Prostant pilulae de Styrace, quorum gr. VIII. gr. I. opii continent.

*STYRAX LIQUIDA* substantia est, therebinthacea consistentia, odoris gratissimi; saporis aromatici, cuius vires haecenus satis perspectæ non sunt. *Tournefort in actis Paris. Anni 1713. in memor. pag. 367.* eam externe applicatam, gangrenam fistere inquit.

*LIQUIDAMBARUM* est quoque substantia Therebinthina Veneta instar pinguis; consistentia vero mel referens, odorem gratum, Styraci similem habens: sapor ejus est gratus, aromaticus, & calidus; vires generales prioribus æquales possidet, sed in usus internos non adhibetur.

### Substantiæ odoris singularis, & virosi.

*AMBRA GRISEA* merito bituminis species esse censetur, quæ mari innatæ, odorem suavem, saporem non adeo calidum ha-

habet, ut stimulans dici mereatur: est tamen effectus ejus mire penetrans, & efficax, non vero diuturnus: quapropter ubi subito pellendum, absque eo, ut humorum motus multum augeatur, locum habere potest. In nervos potissimum agit; hinc animi deliquis hysteriarum opitulatur: Quinimo & gravidis, in quibus magnum stimulum excitare haud licet, dari potest. Interdum tamen eam vix ferunt: modus eandem propinandi est, vel in ovo sorbili, vel in vino, aut in pulvere cum sacharo. Dosis est gr. I. ad gr. X. aut XV. Olim tanquam prophylacticum ad longevitatem commendabatur. Adeo in officinis *confidio Ambra completa, & incompleta: dein essentia Ambrae liquida, & secca*, qua pro incitante, & stimulante uti possumus.

*BENZOIN* est resina, quæ combusta gratum odorem spargit: saporem habet exsiccantem, balsamicum, balsamum peruvianum referentem. Ulsus ejus præcipuus est in suffumigiis, sed halitus accensi nares velicit, & multum stimulat, cutimque validam excitat: ideo in morbis pectoris non præscribatur: siquidem tussim convulsivam producere valet. *Flores Benzoin*, qui sunt solus sal acidus, volatilis, solidus, in regno vegetabili, ad morbos pectoris, solventissimi cum sint, merito laudantur. Verum ubi vel minima subest inflammatio, neutiquam convenient: dantur a gr. III. ad gr. X. in electuario, in bolo, optime tamen cum Mastiche, & olibano forma pilularum. Prostat *Tinctura Benzoin* saporis temperate balsamici, quæ vi incidente, & resolvente gaudet: atque in morbis frigidis pulmonum, in tussi pituitosa cum syrupo de Hyslope, de Sympyto Fernelii a gutt. XX. ad XXV, imo ad XXX, cum successu exhibetur: notandum vero, tincturam cum aquosis præscribendam non esse; fieret enim per tales miscelam præcipitatio, nascereturque *lac virginale* dictum, quod est grate odoratum, & cosmeticum satis innocuum.

*CASTOREUM* est liquor ex castore animali depromptus, & exsiccatus, cuius sapor, si verum sit castoreum, ingratus est, ac virosus: virtutes ejus sunt calefientes, stimulantes, motus inordinatos spirituum competentes: ideo in passione hysterica, & hypochondriaca, ubi simul motus humorum patum augendus est, nimius vero calor non peccat, solamen ad fert. Exhibetur plerunque forma pilularum cum gummatibus ferulaceis:

L 2

dosis

sunt grana III, IV, quæ omni bihorio repeti potest: interim etiam in pulvere, in electuario, in jusculis, in mixturis præscribitur. Prostata *tinctura*, & *essentia Castorei*, quæ virtutem movet, discutientem, & neuroticam habet, atque in adfectibus uteri, a causa frigida subortis, pulchros effectus edit. Hæc essentia solo odore hystericas, & hypochondriacos sæpe excitat, ac reducit: multi tamen etiam eandem non ferunt: interne datur cum aqua hysterica appropriata a gutt. X. ad XX, & XXX. addito syrupo conveniente, aut eleosacharo. Paratur ex Castoreo quoque *oleum per infusionem*, & lenem dein *digestionem*, quod ad olea nervina refertur, & spasmodicis, ac paralyticis membris inunctione medetur. *Extractum Castorei spiritu vini* paratum bonas satis virtutes habet.

*MOSCHUS*. Productum est animale, odoris penetrabilis adeo, ut hystericae inde convallantur. Vires ejus sunt excitantes, calefacientes, motum humorum augentes, minore dosi transpirationem, majore sudorem moventes. Eapropter in febris exanthematicis, malignis, & ad pestem inclinantibus, in variolis pessimis, ubi vires omnes fractæ sunt, insignis est efficacia: Maniacis item, & Chorea Sancti Viti laborantibus, optime datur, idque forma pulveris cum sacharo tritus, a gr. X. ad gr. XII. Celebre denique remedium *Moschus* contra rabiem caninam repertus fuit, præsertim si sequenti modo cum D. Christophoro Nugent Authore Anglo exhibeat, cuius formula videri potest in egregio Tractatu, qui inscribitur, *Essai sur l'Hydrophobie* p. 17.

Recip. Cinnabar. nativæ

factitiae aa gr. XXIV.  
Moschi optimi gr. XX.

Hæc in pulverem subtilissimum redigantur, & fiat cum tantillo mellis, vel syrupo Croci, aut Capillorum Veneris Bolis, ut æger omni trihorio talem fumat, & semper gr. I. opii insuper accipiat. Qua ratione fæminam dirissima Hydrophobia bis afflictam pristinæ sanitati feliciter restituit: sudores enim ita pulcre provocantur, quod in nervis hæret inimicum, averruncatur, & lethale toxicon per cutis superficiem ejicitur, & exterminatur.

ZI-

ZIBETHUM nihil iterum est aliud, quam liquor animalis Zibethi feni, e folliculis binis inter anum, & pudenda locatis, de- sumptus, qui sapore amaro, odore penetrante admodum, & in- gratissimo gaudet: usus cum Moscho similes habet, in medici- na tamen interno usu raro, si unquam adhibetur.

Atque hæc sunt, quæ de virtute simplicium Cardiacorum in medium adferenda erant, quorum, si nonnulla cūjus- dam gustui minus arrideant, benignam, & ab omnibus calum- niis liberam illius censuram peto; siquidem me Juvenem hæc scripsisse noverit, qui longa rerum experientia, & usu, si DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS vitam, & sanitatem benignissime concescerit, plurima deinceps adhuc edoceri debet; auctiore tum demum volumine, emendatioreque fortassis stylo eadem recusurus, quæ brevius modo, & vel ideo forte minus eleganter exaravi, præclaro latinissimi Celsi effato nixus interea, qui præf.

L. I. pag. 10. inquit: *Morbi non eloquentia,  
sed remediis curantur.*

F I N I S.



L;

CO.